DE INFLUENZA QUAE A. 1833 VERNO TEMPORE GRYPHIAM TENUIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA GRYPHICA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA NEC NON
ARTE OBSTETRICIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XII. MENS. JUN. A. MDCCCXXXIV.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
MICHAEL LIEBMANN.
PENZLINO - MEGAPOLITANUS.

OPPONENTIBUS:
J. BECKER, MEDIC. ET CHIRURG. CAND.
F. SCHOLTZ, MEDIC. ET CHIRURG. CAND.
W. STABENOW, MEDIC. ET CHIRURG. DRD.

GRYPHIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE. REG. ACAD. TYPOGR.

VIRIS

CELEBERRIMIS, ILLUSTRISSIMIS

F. A. G. BERNDT,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI,
POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, MEDICINAE PRACTICAE, ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, CLINICI MEDICI ET OBSTETRICII DIRECTORI, FACULTATIS MEDICAE PESTHINENSIS MEMBRO HONORARIO AC SOCIETATUM DOCTARUM COMPLURIUM SODALI,
H. T. FACULTATIS MEDICAE DECANO,

M. G. MANDT,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI,
CHIRURGIAE ET THEORETICAE ET PRACTICAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, CLINICI CHIRURGICI ET OPHTHALMIATRICI, NEC NON SCHOLAE MEDICO-CHIRURGICAE DIRECTORI,

PRAECEPTORIBUS AESTIMATISSIMIS,

FAUTORIBUS SUMMOPERE COLENDIS

HASCE

JUVENILES PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Influenza morbus utralibet ex parte nobis pertractandam se offert, quum contemplanda ſit aut ut epidemia, phaenomenon pathologicum cunctis populis atque multis partibus terrarum commune, aut ut ſpecialis morbus, phaenomenon pathologicum in homine individuo. Itaque in duplici hiſtoria et epidemiae et morbi ſpecialis operam collocare debemus. Quod attinet ad hiſtoriam morbi ſpecialis, mihi propoſui tantum qua ratione morbus in urbe Gryphia ſe exhibuerit perſcrutari, quum ad hoc perficiendum obſervationibus a me ipſo factis niti poſſim. Attamen in hiſtoria epidemiarum, quam praemittere neceſſarium puto, operam dedi, ut quantum poſſem partim brevem ſingularum epidemiarum imaginem praeberem, partim tantum adnotationibus a ſingulis ſcriptoribus repetitis ſignificarem, quibus non ſolum una epidemia ab altera diſcreparit, ſed etiam quas proprietates una eademque epidemia variis locis prae ſe tulerit.

Priusquam id adgrediar, adcommodatum mihi eſſe videtur, ut definitionem morbi praemittam. Nomine igitur *Influenzae* indicatur morbus epidemice graſſans ſub ſpecie morbi univerſalis febrilis ſimulque affectionis localis, nempe omnium tunicarum mucoſarum totius corporis, quae affectio localis praeter ſubinflammationem tunicarum mucoſarum etiam nervorum in his diffuſorum paſſionem peculiarem oſtendit, cui declarandae operam navabo, ubi de cauſa proxima agetur.

Denominationes morbi, quarum magna ex parte in hiſtoria a me facta eſt commemoratio, hic breviter tantum citare volo.

Uſitatiſſima denominatio hujus morbi eſt Influenza (influo) ab influxu rerum externarum, praecipue aëris ad morbum hunc gignendum derivanda, quod nomen ſine dubio ab Italis originem duxit; qua denominatione, quum prae aliis latiſſime divulgata ſit, ego quoque praecipue utar. Apud Italos praeterea nomina *Mazuchi*, *Cocculucas*, *Anguinaglia*, *Amphimerina anginoſa* inveniuntur. Ex ſimilitudine hujus morbi cum catarrho vulgari et febre catarrhali multi ſcriptores veteres et recentiores utuntur nominibus catarrho epidemico et febre catarrhali epidemica. Franco-Galli nominant hunc morbum *la grippe* ſeu *la gripe*, praeterea *le grand rhûme*, *Couculuche*, *la Generale*, *la Folette.* Angli appellant morbum *the late Influenza;* Germani *Ziep*, *Schafhuſten*, *Schafkrankheit*, *Laune*, *ruſſiſcher Catarrh*, *Frühlingsepidemie*, *epidemiſcher Huſten*, *epidemisches Fieber*, *Blitz-Catarrh* et q. al.

I.

HISTORIA.

Antiquorum medicorum ſcripta perquirentes in Hippocratis libris [1]) videmus, febrem catarrhalem epidemicam ei non plane ignotum fuiſſe. Praeter ſymptomata multa maligna et valde infauſta ad noſtram epidemiam non pertinentia cum multa alia deſcribit, quae ab iis, quae in noſtra epidemia obſervata ſunt, non valde diſcrepant, tum dolorem lateris, tuſſim, ſputa ſpumoſa, craſſa, reſpirationem impeditam, ſudorem multum, cephalalgiam, alvi egeſtiones multas, aquoſas, bilioſas, criſes per ſudores, quibus morbus ſaepiſſime inter diem decimum quartum vel viceſimum dijudicabatur.

Quas vero Schnurrer [2]) febres catarrhales epidemicas annorum ante C. n. 415, poſt autem 591, 827, 876, 927, 1173, 1327, 1556 multas commemorat, eae parum ſimiles ſerius obſervatis ſunt, quae re vera febres catarrhales eſſe agnoſcebantur, non ſolum propter extenſionem

1) Magni Hippocratis Coi opera omnia graece et latine ed. van der Linden, 1656. Ἱπποκράτους ἐπιδημιῶν τὸ ἕβδομον.

2) Schnurrer Chronik der Seuchen, Stuttg. 1822.

epidemiarum, fed etiam propter fymptomata tam valde difcrepantia et propter mortalitatem.

Alia epidemia anno 1587 obtinebat Franco-Galliam et Italiam, quam Valefcus de Tarenta [3]) Montepeffuli regnaffe nobis tradidit. Cephalalgia, tuffis, coryza, anxietates pectoris cum febre fymptomata erant peculiaria, neque defuerunt fymptomata nervofa. Quam epidemiam Schneider [4]) commemorat in libro de catarrhis, ibique Valefcum de Tarenta ita loquentem inducit: ego (Valefcus) vidi Montepeffuli, quo ego accepi licentiam, a. 1387 generalem catarrhum, ita quod vix decima pars gentium praeter infantes evafit catarrhum et fere omnes decrepiti moriebantur.

Catarrhum epidemicum a. 1510 et 1557 per totam Galliam regnaffe Valleriola [5]) perhibet. Symptomata, quibus morbus fe manifeftabat, haec narrat: Gravis capitis dolor, refpirandi anguftia ac vocis raucitas initio aegros praehendebant, mox horror, febris tuffisque adeo valida, ut in praefocationis periculum plerique deducerentur. Primis diebus tuffis ficca atque vehemens fine fcreatu, mox concocto humore, qui pulmones implebat, poft feptimum aut decimum quartum fcreatus multus vifcidus, lentus, nonnullis tenuis et fpumofus. Proce-

3) Wittwer, Ph. L., über den jüngften epidemifchen Catarrh. Nürnb. 1782. Cullen, Anfangsgründe der pract. Arzneiwiffenfch. Th. I. Lpzg 1778.

4) Schneider, C. V., de catarrhis. Witteb. 1661, lib. IV.

5) Valleriola, Fr., Loci medicin. communes. Lugdun. 1589. In Appendice ad tres superiores locor. medicor. communium libros.

dente autem fputo tuffis et fpirandi difficultas plurimum remittebantur. Verum in omni morbi progreffu laffitudo corporis, virium dejectio, inappetentia multa et a cibis averfio aegros vexabant, inquietudo, languor, vigilia ob validam tuffim vehementer premebant, nonnullis alvi fluor fub finem, aliis fudores manabant. Praeter hanc defcriptionem commemorat: In univerfum vero cujusvis aetatis, fexus, victus rationis homines eodem morbo eodemque anni tempore corripiebantur moxque uno in una quapiam familia correpto in univerfam domum incendium atque contagio obrepebant. Paullo inferius: Morbum hunc vulgus la couculuche vocabat, quum, qui eo tenebantur, cucullione caput velarent. Arbitrabantur enim, a cerebro in pulmones fluxionem erumpere, caputque cucullo tegentes putabant, fe fic melius habituros.

Anni 1580 Petrus Salius Diverfus [6]) epidemiam nobis defcribit accuratiffime per totam Europam pervagantem et inter fymptomata illius communia laffitudinem et debilitatem infignem enumerat. Hunc morbum ut plurimum falubrem fuiffe in fanitatemque abiiffe dicit. Pechlinus [7]) de hac epidemia refert, eam veniffe ex Africa in infulam Meliten, inde in Siciliam, mox extenfa virulentia in Hifpaniam atque Italiam, ex hac deinde trajectis Alpium jugis in Pannoniam, Hungariam magnamque Germaniae partem ad mare usque Balticum. Hoc contagium catarrhale apud Italos coccoluccio dictum

---

6) Diverfo, Petro Salio Opuscul. medic. Amfterd. 1681

7) Pechlini, Joh. Nic., obfervat. phyfico-medicar. Libr. III. Hamburgi a. 1691. in lib. II. obfervat. XVII.

esse commemorat. In Gallia quoque hanc epidemiam regnasse, scimus ex Riverii scriptis [8]).

Cullen adhuc commemorat Sennertum [9]), qui epidemiam in Germania 1591 observavit, et Willisium [10]), qui eam 1658 in Anglia vidit.

De anni 1675 epidemia Ettmüller [11]) nos certiores facit. Per totam fere Germaniam illam grassatam esse refert, eam incepisse sub finem Septemb. et per Mensem Octob. et Novemb. perdurasse. Universi anni tempestatem describit admodum inaequalem, imprimis aestas erat pluviosa spirantibus crebrioribus zephyris. Principio Septemb. nebulae spissiores auroram obscurabant, circa meridiem clarus solis splendor denuo elucescebat, donec tandem pluviosum et humidum tempus sequebatur. Symptomata primaria in loco citato descripta sunt: dolor gravativus, tensivus capitis, tussis crebra, ferina (Schafhusten), in principio inanis et sicca, subinde subcruenta, tum humida, copiosis viscidis liquaminibus rejectis pedetentim cessans, raucedo, respirationis difficultas; in quibusdam lancinationes artuum, graves dolores punctorii in alterutro latere; calor in principio intensus cum pulsu crebro, celeri. Angliam quoque eodem anno ab hac epidemia esse correptam Sy-

---

8) Riverii Lazari op. medic. univers. Lugdun. 1679. Observ. medic. commun. observ. X. febr. epidem. p. 585.

9) Sennertus de febre. Lib. IV, 17.

10) Willis de febribus cap. XVI.

11) Ettmülleri opera medicorum theoretico - practicorum Tom. II. casus XXX. pag. 1445. Francof. ad Moen. 1698.

denham[12]) probat; tuſſim epidemicam hunc morbum nominat.

Aliam epidemiam praeter hanc commemorat Sydenham[13]) nempe a. 1679. Tuſſis graviſſima huic morbo ſemper erat comes, quae auctori ipſi ad tuſſim puerorum convulſivam propius accedere videbatur. Eodemque anno in Gallia febris catarrhalis epidemica regnabat[14]).

Anni 1708, 9 et 12 ab hac epidemia non fuerunt vacui. Sprengel[15]) et Cullen Schroeckium[16]), Camerarium[17]) et Lanciſi[18]) citantes hoc probant. Romae et Berolini morbus valde graſſabatur, virium dejectione maxima inſignis, conjunctus cum urticaria, maculis, ſaepe phthiſin efficiens. Romae male del Caſtrone (Hammelkrankheit) nominabatur; mortalem exitum ſaepe habuit.

Quae hanc ſequitur epidemia fuit a. 1729 et 1730. Haec ex Suecia autumni tempore ſuperveniſſe dicitur Poloniam, Germaniam et Angliam, tum Galliam, ubi *le grand rhûme* nominabatur. Tempeſtas hujus anni valde mu-

---

12) Sydenham, Thom., op. univerſa Lugd. Batavorum ſectio quinta cap. V. 1726.

13) Sydenham op. cit. prim. Reſponſio ad R. Brady.

14) Blegny, Nic., de, Zodiac. Medico-Gallic. Ann. I. Genev. 1680.

15) Sprengel, Kurt, Verſuch einer pragmat. Geſchichte der Arzneikunde. Th. V. Abth. I. Halle 1828.

16) Schröckius in Ephem. Nat. Cur. Cent. I et II. in Appendice.

17) Camerarius in Ephem. Nat. Cur. Cent. III et IV. obſerv. 58.

18) De nativis romani coeli qualit. p. 128.

tabilis fuit. Perbene epidemiam describit de Hahn [19]). Miliariam et maculas petechiales, sinistro vero omine, saepe observavit. Morbus sicuti non solum ex descriptione Hahnii, sed etiam aliorum e. g. Loew [20]), Scheuchzer [21]), Morgagni [22]) etc. elucet, saepe fuit periculosus et letalis.

Anno 1732 rursus epidemia grassata est, quae mense Novemb. Germaniam obtinuit, Angliam, Hollandiam, Galliam mense Jan., initio Martii Italiam, uno eodemque tempore in America quoque observata est. In Scotia, quo mense Decemb. venit, similis equorum morbus est observatus. Huxham [23]), qui inter multos alios, in quibus est e. c. van Swieten [24]), medicus Edinburgicus [25]) accurate epidemiam Angliae describit, aërem humidum et algidum fuisse dicit. Tum commemorat haec: hoc tempore hanc regionem infestavit morbus, omnium, quotquot ego saltem memini antehac, maxime epidemicus, omnes pervasit domos, pauperum tabernas regumque turres; vix unus aut alter

---

19) Hahn, Joh, God,, febrium continuarum, quae anno MDCCXXIX Vratislav. populariter grassatae sunt recensio, etc., Vratisl, et Lipf, 1731.

20) Loew, C. Fr., in Append. ad Act. Nat. Cur. Vol. III.

21) Scheuchzeri Obs. meteorol. in App. ad Acta Nat. Cur. Vol. IV.

22) Morgagni de sed. et caus. Ep. XIII. 3. 4.

23) Huxhami op. physico-medic. vol. I. p. 102. Lips. 1784.

24) Swieten constit. epidem. I p. 351.

25) Edinb. medic. Essays vol. II. art. 2. p. 18.

rure vel in urbe ſenex aut puer robuſtus aut infirmus evaſit. Paulo inferius: abiit plerumque vel intra quatriduum perbreve, manente ſolum infeſta tuſſi, eaque ſaepe diuturna valde, cum majore virium dejectione, quam quis pro ratione valetudinis crediderit, idque praeſertim, ubi intempeſtiva ſanguinis miſſio praeceſſerat. Ceterum haec epidemia inſignis erat magna virium dejectione, abſceſſibus in meatu auditorio exanthematibusque puſtuloſis.

Anno 1742 haec epidemia rurſus corripuit verno tempore Germaniam, tum Italiam, Hollandiam, Galliam, et in Angliam venit 1743 ſub finem April., ut videmus ex iis, quae refert Huxham [26]). Plymouthi, ubi ipſe epidemiam obſervavit, quam jam influenzam nominat, tantum leniter regnantem deſcribit; attamen haec adnotat: eadem prorſus videtur haec febris, quae per totam Europam hoc vere ſub nomine influenza graſſata eſt, apud gentes autem auſtrales longe magis quam hic fuit peſtifera, quin etiam apud Londinenſes ipſos funera auxit maxime, imo una duntaxat hebdomade ad mille ſaltem. Etiam in Germania non leni modo graſſabatur epidemia, propenſio in pneumonias fuit maxima et morbus ſaepe fluxu ſanguinis e naribus dijudicabatur [27]). Sanguinis miſſiones copioſiores valde nocebant, quod Huxham quoque adnotat. Pringle [28])

26) Huxham op. cit. Vol. II. p. 286.

27) Juch in Halleri diſſ. pract. Vol. V. p. 297.

28) Pringle, John, obſervations on the diſeaſes of the army. London 1768.

influenzam, quam nominat, milites Anglicos in Flandria corripuisse commemorat.

Epidemia, quae grassabatur 1763, mense Mart. supervenit Hungariam, tum urbem Viennam, Italiam. Ineunte mense April. Lugduni sedem collocavit, et per aestatem in Gallia regnabat. Dysenteria post hanc epidemiam corripuit homines, praecipue in Anglia et Viennae. Periculosa haec epidemia eo erat, quod inflammationes organorum pectoris conjunctae cum magna virium dejectione frequentes erant, quod periculum alvi fluxibus creberrimis etiam augebatur [29]).

Anno 1775 et 76 praecipue in Anglia rursus epidemia apparuit. Grant [30]) et Fothergill [31]) nos de hac re certiores faciunt. Inter multa alia symptomata aliis epidemiis propria: coryza, tussis, angina, dolor capitis, vertigo, febris cum pulsu celeri, frequente, dolores per omnes artus, praecipue commemoratione digna est diarrhoea, quae haud raro conjuncta erat. Venaesectiones saepe requirebantur. Stoll [32]) Viennae epidemiam observavit. Hunc catarrhum

---

29) Baker, G., de catarrho, et de dysenteria Londinensi, epidemicis utriusque anni 1762. libel. 4. Lond. 1764. — Mertens observat. medic. tom. 2. pag. 1 — 7. (Vindob. 1784. 8.)

30) Observations on the late Influenza the febris catarrh. epid. of Hippocrat., as it app. at London in 1775 et 1782 by William Grant., med. Dr. London.

31) Fothergill, Ant., in mem. of the med. societ. in London, vol. 3. p. 30. Joh. Fothergill in med. obs. by a. soc. of physic. in Lond., vol. 6. p. 340.

32) Stoll, Max., Ratio med. pars I. Vienn. 1789.

menſe Jun. anni 1775 populariter per omnem ferme Europam graſſatum eſſe dicit. Praeter jam alibi commemorata ſymptomata ab eo enarrantur: inappetentia, os amarum aut inſipidum, lingua alba mucoſa, flava, dolor ad ſcrobiculum, tumor ventriculi, hypochondriorum tenſio, alvus aut tarda aut frequentioribus iisque exiguis ac bilioſis dejectionibus moleſta. Urina crocea, ſubinde cum ardore miſſa, parca cum ſedimento ex albo rubente, furfuraceo, mucoſo, lateritio. Nauſea, vomituritionibus, tuſſi multa, ardore et oppreſſione pectoris fere omnes laborabant. Hoc morbo equos quoque et canes eodem tempore correptos eſſe narrant. Mortalitas equorum erat major quam canum. Equi cruciabantur tuſſi vehemente, calore et magna laſſitudine viriumque dejectione, ex qua non facile reſtituebantur.

Illa epidemia, quae regnabat 1782, harum, quae hucusque deſcriptae ſunt, fuit longiſſime pervagata. E finibus Chinenſibus Petropolin delata eſſe menſe Jan. dicitur, ubi ſtatim quadraginta millia hominum correpta ſunt. Ex Petropoli permanabat per Finniam, Sueciam, Poloniam, Germaniam, ita ut menſe Febr. Rigae adeſſet, nono Mart. Memeli, decimo tertio Regiomonti, et paullo poſt Gedani. Principio April. apparuit Berolini, menſe Maj. Hamburgi et Lipſiae, ſub finem h. m. in Saxonia, Bohemia, Hollandia et Anglia, menſe Jun. Viennae, Halae, menſe Jul. Pariſiis, Auguſto m. Lisbonae, poſtremo in Italia. Tempeſtas hujus anni veris fuit inſignis frigore, et praeterea valde mutabilis.

Scriptores, qui de hac re optime inter

multos alios differuerunt, fuerunt Wittwer [33]), Metzger [34]), Languth [35]).

Languth, ubi de morbi symptomatis vulgaribus, quae cum aliis adnotatis paene congruunt, loquitur, haec narrat: In plurimis aegrotis morbi praecursores fuisse vertiginosam capitis obnubilationem, dolorem transverse super oculos haerentem, universalem quandam virium defectionem, injucundum in dorso membrisque sensum excitantem, quasi illa, imprimisque pedes, subtusa essent, quibus dolentes in suris tensiones accesserint. Congruisse cum hisce aut statim subsecutas esse horripilationes, calores volaticos sub vesperam maxime frequentes, tussim siccam et coryzam vehementi sternuatione se prodentem, quae tussim quoque saepe adjunctam habuerit; nec semper defuisse raucitatem affectusque anginoideos; atque his in multis aegrotis accessisse faciem rubram et tumidam, aut flavidam cum rubore genarum; oculos protrusos aut collapsos et quasi vitreos fuisse; pustulas ad nasum vel os, appetitum aut plane deficientem aut imminutum, aut etiam, sed nonnisi in paucis adauctum, saporem depravatum, amarum, os siccum absque magna siti, punctiones in pectore asperiores remissioresque saeviente tussi, quae interdum in pleuritidem veram transierint,

---

33) Wittwer, Ph. L., Ueber den jüngsten epidemischen Katarrh. Nürnb. 1782.

34) Metzger, J. D., Beitrag zur Geschichte der Frühlingsepidemie im Jahr 1782. Königsb. u. Lpzg 1782.

35) Languth, dissert. inaug. med. sistens histor. catarrh. epidem. a. 1782. Helmst. 1782.

quaeque in aliis ſputum ſanguinolentum facerent; ſenſum preſſionis in ſcrobiculo, nauſeam, alvum adſtrictam, raro laxam, manus calidas, ſiccas, ſaepe autem frigidas fuiſſe. Noctes inquietas levemque ſomnum phantaſmatis turbatum, pulſum mollem, plus minusve plenum, celerem imprimis veſperam verſus, urinam claram, valde pallidam, raro ſaturatam, nubeculis poſtea conſpicuam, nunquam verum ſedimentum demittentem; linguae inhaeſiſſe cruſtam albam in pallidum vergentem.

Quae vero de hac epidemia hic et illic nuntiantur haec ſunt: mediam aetatem in univerſum morbo magis eſſe correptam, quam infantes et ſenes; nonnullis locis, praecipue montuoſis, morbum tam lenem fuiſſe, ut a coryza communi diſtingui non poſſet [36]). Paene ſemper adfuit debilitas maxima et exinanitio, quae ſtatim nonnullis horis poſt morbi introitum ſecuta eſt [37]). Saepe morbus fuiſſe dicitur inflammatorius, cum venaeſectiones magno cum ſucceſſu adhiberentur. Apud alios epidemia magis gaſtrica deſcribitur, ita ut emeſes et alvi ejectiones perbonum haberent ſucceſſum [38]). Vogel [39]) febrem catarrhalem bilioſam hunc

---

36) Lentin, Beiträge zur ausübenden Arzneiwiſſenſchaft. Wien 1800. Bd. I.

37) Wittwer, op. cit. — Hamilton R. in mem. of the medic. ſoc. in London. Vol. II. p. 418.

38) Languth in op. cit. — Mumſen, kurze Nachricht v. der Schnupfenkrankheit u. v. der Beſchaff. der Luft in den J. 1781 u. 1782. Hamb. 1782.

39) Vogel, S. G., Handbuch der pract. Arzneiwiſſenſch. Stendal 1789

morbum nominat. Sprengel [40]) enumeratis ſymptomatis catarrhalibus imprimis enarrat, dolores praecordiorum quaſi excoriatorum, faſtidium et vomitum vel biliosum vel mucoſum, cardialgiam, dolores colicos, adfectus nervoſos in debilioribus et ſenibus, metaſtaſes repentinas ad nobilia organa, quae enecare aegros conſuerint, propenſionem convaleſcentium ad recidivas, quae ſeniores nonnullos apoplexia enecarunt; tunc tuſſim diu perdurantem, ita ut tabes metueretur. Diatheſin ad phthiſin et ad arthritin hoc morbo potiſſimum evolvi obſervavit. Hic morbus a nonnullis refertur valde peſtiferus, ab aliis valde benignus.

Anno 1800 apparuit rurſus influenza, quae jam menſe Novemb. anni 1799 Wologdae et Archangelopoli regnaſſe traditur. Sub finem menſis Novemb. et Decemb. Petropoli adfuit et Rigae, menſe Febr. anni ſequentis ſupervenit Regiomontum, Varſoviam et Londinum, autumni tempore a. 1801 in Suecia regnabat. A. 1802 — 3 epidemia Pariſiis et vere hujus anni in ſinibus Rhenanis ſedem collocavit.

Metzger [41]) in libro, quo epidemiam Regiomonti eſſe nuntiat, praeter multa alia ſymptomata jam cognita commemorat virium dejectionem maximam et citiſſime intrantem, e qua homines lente tantum reſtituebantur.

---

40) Sprengel, Kurt, Inſtit. medic. patholog. ſpecial. Amſt. 1814.

41) Metzger, J. D., Beiträge z. Geſch. der Frühlingsep. im J. 1800. Altenb. 1801.

Wolf [42]) qui de influenza Varſoviae quarto decimo die menſis Febr. nos certiores facit, priusquam de hac loquitur, commemorat, Petropoli fere omnes, quibus ſanguis miſſus ſit, eſſe mortuos. Inter multa alia in aliis epidemiis jam obſervata mihi commemoratione digna videntur illa laſſitudo, debilitas, ubi morbus tantum perbreve perduraverat, in morbo graviore ſapor amarus, vomitus, deliria, ſyncope; perdurabat ſaepe octo ad quatuordecim dies et adhibita methodo debilitanti typhus ſaepe minitabatur; de aſthmate quoque et pneumoniis loquitur; vomitus ſaepe veſicatorio in ſcrobiculo applicato tollebatur; colica ſicca et diarrhoea ſaepe adfuit; infantes nondum quindecim annos nati fere non corripiebantur. Methodo medendi excitante Wolf ſemper uſus eſt; purgantia et laxantia rejicit, quae vero defendit Mezler [43]), qui praecipue ſtatus gaſtrici in therapia et aetiologia hujus morbi rationem eſſe habendam contendit. In regionibus Rhenanis morbum hunc graſſatum eſſe perhibet Horſt [44]); nihil differt ab illa epidemia Varſoviae. Gautieri [45]) refert de epidemia Mediolani graſſante; amphimerinam anginoſam cum aliis illam nominat.

Ejus epidemiae, quae a. 1830 — 31 graſſabatur, origo e China [46]) ducitur, ubi menſe

42) Hufeland's Journal der pract. Heilkunde. Bd. 9. St. 4 u. Bd. 10. St. 1.

43) Hufeland's Journ. der pract. Heilk. Bd. XIII. St. I.

44) Ibidem Bd. XVII. St. I.

45) Ibidem Bd. XVII. St. I.

46) Magazin der ausländ. Litteratur der geſammten Heilkunde. Jul. und Aug. 1832, S. 1—4.

Jan. regnabat. In Manilam processit mense Septemb. 1830, Moscoviae mense Novemb. et Decemb. ej. a., Petropoli vere 1831, Varsoviae Mense Mart. et April. ejusd. anni, Vratislaviae April. et Maj., Berolini April., Hamburgi mense Majo, Gryphiae eodem mense, in regionibus Rhenanis mense Jun. et Jul., Parisiis mense Jul. et August., Londini Julio, in Italia mense Novemb. 1831, in America principio mens. Novemb. et Decemb., Philadelphiae grassabatur ineunte a. 1832. Hic solitis phaenomenis catarrhalibus saepe se adjunxerunt deliria; saepe caput praecipue fuit morbo correptum, saepe morbus incepit cum vomitu et alvi fluxu, quos sequebantur symptomata catarrhalia organorum respirationis, saepe morbus fuit letiferus, sanguinis detractiones locales et universales fuerunt saepe necessariae et reiterandae [47]).

Quae vero benignitas hujus morbi laudatur in universum, ea Berolini fere non observata est, nam numerus mortuorum, quum influenza regnaret, fuit 254 et per Choleram eodem tempore 252 moriebantur. Parisiis vero numerus mortuorum a. 1831 priorum annorum numerum non transgressus est [48]). Influenza ubique non diuturna fuit, Berolini desiit post quatuordecim dies, Moscoviae et Petropoli per duos menses perdurabat, Londini et Viennae quadraginta dies, attamen Parisiis prorupit mense Januar. 1831 et usque ad finem

47) Magazin der ausländ. Litteratur der gesammten Heilk. Jul. u. Aug. 1832, S. 1—4.

48) Medizin. Zeitung des Auslandes N. 40. Berlin 1833.

hujus anni perdurabat. Symptomata influenzae fere ubique erant eadem, omnia irritationem omnium tunicarum mucofarum adeffe teftabantur. Cum illa mortalitate Berolini non congruunt obfervationes Hornii [49]), quas ipfe pro fua virili parte fecit, qui influenzam valde benignam vidit. Transibat vero interdum in febrem intermittentem. De influenza Genevae nos certiores fecit Lombard [50]). Hanc epidemiam anteiiffe dicit profopalgias, neuralgias pectoris, abdominis, artuum, in pluribus hemiplegias.

Quod attinet ad influenzam a. 1833, haec ab oriente ad occidentem progredi videbatur. Radius [51]) in libello de influenza propagationem hujus morbi oftendit.

Mosquae, Cafani, Petropoli apparuit anno ineunte, quod ex Lichtenftaedtii [52]) literis elucet. Morbus ita pervagatus erat, ut fere nemo hujus immunis effet; viri magis quam feminae, adulti magis quam infantes corripiebantur. Inter fomnum per noctem, fudoribus, fedimento urinae et exfcreatione fputorum morbus finiebatur. Medicamentorum utiliffima erant Ammon. mur., Nitr., Tartar. ftib., cum regimine calido.

---

49) Kleinert, allgemein. Repertorium. Jahrg. VII. Hft 4. S. 29.

50) Jahrbücher der in- und ausländ. gefammten Medizin von Schmidt, Jahrg. 1834. Bd. I. Hft 2. 101.

51) Radius, de influentia morbo anni 1833. Lipf. 1833.

52) Clarus u. Radius wöchentl. Beiträge zur medic. und chir. Klinik. Vol. I. No. 13.

Memelii [53]) apparuit morbus die XXIV. m. Febr. Nulla aetas libera manebat ab hoc morbo, infantes vero crebrius correpti; morbus in universum valde benignus ac lenis apparuit; crises adducebantur sudore acido, viscido et urina saturata; cura morbi simplex; regimen calidum et potio calida optimum effectum habebant; in affectionibus organorum respirationis gravioribus vesicatoria ad pectus applicata et lavationes pedum sufficiebant; venaesectiones nocebant etiam plethoricis. Odessae [54]) se ostendit morbus initio mens. Febr., nebulis ineunte mense crassis, aquilone flante, postea vero coelo sereno et quieto; magnam hominum multitudinem ad millia quinque ibi corripuit et valde pertinax saepe erat.

Rigae [55]) apparuit sub finem mensis Febr., Varsoviae et Elbingae primis mensis Mart. diebus; Tilsitii prorupit magna cum vehementia eodem tempore; Dantisci [56]) die secundo huj. m., e relationibus a Sinogowitz communicatis, qui contagiosum morbum esse negat; in morbo tractando rejicit sanguinis missiones, praesertim copiosas, quas male succedere dicit. Regiomontii [57]) apparuit die nono mensis Mart., ubi magis extensione, quam intentione crescebat.

---

53) Berlin. medic. Zeitung, 27. März 1833. No. 13.

54) Clarus u. Radius Beiträge zur Klinik. Vol. I. N. 23.

55) Ibidem Vol. II. No. 17.

56) Rust, Magazin Vol. XX, p. 56.

57) Clarus u. Radius Beiträge zur Klinik Vol. I. No. 24. — Kleinert, Allgem. Repertor. Jahrg. VII, Hft 12. S. 102.

Krotoſchinii et Poſnaniae [58]) die XIV. Mart. regnaſſe refertur. In urbe Poſnania in ſeminario ex octoginta quinque hominibus intra quatuor dies ſeptuaginta duo correpti ſunt; etiam bis vel ter in hac urbe nonnulli afficiebantur. Conſtantinopolin intravit die XXII. ejusd. menſ. Berolini apparuit ſub finem menſ. Mart. Ex Hufelandii [59]) relationibus jam medio menſe April. numerus aegrotorum fuit quinquaginta millium. Nihil aliud ex hujus ſententia eſt, quam febris catarrhalis gravior, magna virium dejectione inſignis, charactere nervoſo; venaeſectiones non bene perferuntur. Wolff [60]) contra ſaepe ſanguinis detractiones, interdum repetitas, bono cum ſucceſſu adhibuit; inflammationes quoque ſaepe obſervavit, quae funeſtum exitum habebant; febres nervoſae raro accedebant. Etiam Böhr [61]) de inflammationibus ſaepe obvenientibus, in quibus multus ſanguis mittendus erat, loquitur, quae ſanguinis detractiones convaleſcentiam tardam ſecum ducebant; complicationes gaſtricas fere ſemper affuiſſe dicit.

Menſe April. ineunte Londini [62]) apparuit, medio April. Lipſiae [63]), Dresdae [64]), eodem

58) Clarus u. Radius Beiträge zur Klinik Vol. II. No. 1.

59) Kleinert, Allgem. Repert. Jahrg. VII. Hft 12. S. 109.

60) Berlin. Mediz. Zeitung, 15. May, 1833.

61) Ibidem.

62) Allgemein. Mediz. Zeitung, 1833, No. 37.

63) Radius, de influenza morbo a. 1833. Lipſ.

64) Clarus und Radius, Beiträge zur mediz. Klinik. Vol. II. No. 9.

tempore Chemnitzii [65]), Fribergi [66]), ſub exitum Aprilis Misniae graſſata eſt, et Gryphiae, Hannoverae, Hamburgi quoque ſe oſtendit, eodem tempore Altenburgi [67]); apparuit hoc menſe etiam in Suecia.

Stuttgartiam [68]) venit influenza menſe Majo ineunte, ibique prae ceteris milites corripuit. Eodem tempore Laibacum [69]) quoque luſtravit; Holmiae etiam graſſabatur, ibique multi pneumoniis moriebantur. Medio m. Majo apparuit Herbipoli [70]).

Menſe Jun. ineunte Bonnam luſtravit, die VIII. huj. m. Osnabrugi [71]). Julio m. praecipue in Bavaria graſſabatur.

Pariſiis [72]) ineunte Maj. refertur epidemiam adhuc valde graſſari, quae inflammatoria ſaepe appareat, et inflammationes pleurae, peritonaei, meningum et anginam membranaceam interdum adducat; nonnullos hemicrania et malo iſchiadico interdum laborare.

---

65) Clarus und Radius, Beitr. zur medizin. Klinik. Vol. II. No. 6.

66) Ibidem. Vol. II. No. 9.

67) Allg. Mediz. Zeitung, 1833. No. 37. — Clarus und Radius, Wöchentl. Beiträge z. Klin. Vol. II. No. 24.

68) Clarus und Radius, Wöchentl. Beiträge zur Klinik Vol. II. No. 13.

69) Ibidem. Vol. II. No. 11.

70) Eſcherich, Ferd., die Influenza, ein epidem. Katarrhalfieber. Würzb. 1833.

71) Clarus und Radius, Wöchentl. Beiträge zur Klinik. Vol. II. No. 17.

72) Gazette médic. de Paris, IV. May. 1833.

II.

DESCRIPTIO INFLUENZAE URBIS GRYPHIAE.

Cap. I.

Priusquam deſcriptionem influenzae Gryphicae adgrediar, non alienum mihi eſſe videtur, ut breviter de primo ejus ingreſſu in hanc urbem agam, eodemque modo de coeli et aëris ratione illius temporis.

Primi caſus influenzae obvenerunt menſ. April., ita ut die fere viceſimo morbus hic primum ingrederetur. Non tam ſubito vero, quam aliis regionibus factum eſſe refertur, magna hominum multitudo ſimul correpta eſt, ſed ſinguli tantum caſus animadvertebantur, quibus valde mitibus proprietates influenzae adeo defuerunt, ut catarrhis vulgaribus paene annumerari poſſe viderentur. Die viceſimo quinto demum major hominum numerus correptus eſt, et ex hoc die morbus re vera epidemiae nomen ſibi vindicavit. Ultimo m. April. die primisque Maj. diebus aegrotorum numerus valde minuebatur, die quarto vero m. Maj. morbus majore

ſaevitia prorupit, ita ut numerus aegrotorum illum qui priore menſe fuerat longe ſuperaret. Eodem modo morbus permanebat ad diem duodecimum fere, quo aegrotorum numerus minui coepit, ita vero, ut ad finem hujus menſis usque ſinguli caſus adhuc procederent.

Influenza leniſſima apparuit primo ingreſſu, et quamvis gravior fieret morbo magis magisque divulgato, tamen benignam naturam magnam in partem ſervavit. Quum vero aegrotorum numero minuto epidemia nos relinquere videretur, funeſti caſus non pauci obſervati ſunt, eo nempe, quod morbus ſaepius quam antea indueret characterem malignum, aſthenicum ſcilicet et inflammatorium, inflammationesque ipſae ſaepius eum comitarentur.

Quae vero adnotanda habemus de ratione, qua tentati ſunt aegroti, haec ſunt: Nonnullarum familiarum tantum ſinguli, unus aut duo, morbo opprimebantur, ceteri a malo immunes ſervati ſunt. Nonnullae familiae ita morbo implicabantur, ut omnia membra earum longioribus intervallis deinceps opprimerentur. Haud raro unius familiae multi ſimul correpti, interdum etiam tota familia uno ictu profligata inveniebatur. Equidem vidi quoque nonnullas familias, quarum membra uno eodemque tempore huic morbo ſuccubuerunt, attamen tales tantum, quae paupertate gravi coactae non ſolum uni conclavi peranguſto et humili incluſae, ſed etiam fere unius tantum lecti participes erant. Die viceſimo quarto April. orphanotrophei infantes duo tentati ſunt hoc morbo, qui ibi adeo graſſari coepit, ut quum per idem tempus ſex ad octo corriperentur, ex numero orborum, qui

fere quadraginta explet, maxima pars ſimul cum curatore et curatrice brevi tempore deinceps lecto tenerentur. Ceterum nulla aetas, nullus ſexus immuuis erat hujus morbi, neque ulla victus ratio eundem arcebat.

Tempeſtas valde mutabilis, frigoris et caloris viciſſitudines, per hiemem praeteritam jam regnantes, non minus vere h. a. obſervatae ſunt. Menſis April. quoque aëris viciſſitudinibus inſignis erat; ſub finem menſis, quum influenza invaderet, coeli facies ante turbida magis ſerenior facta eſt; nubeculae matutino tempore conſpicuae interdiu evaneſcebant, ita ut coelum ſerenum et ſiccum ſub veſperam praeſertim conſpiceretur. Aegre vero ferebatur viciſſitudo caloris et frigoris. Calor, qui in decurſu diei attigerat + 8° R ſub veſperam ad 0 redactus eſt. E ventis regnabant praecipue Boreas, Eurus et Caurus. M. Maj. exceptis primis diebus ſemper coelum erat ſerenum, aërque ſiccus animadvertebatur; tempeſtas erat valde ſtabilis; viciſſitudines frigoris et caloris etiam hoc menſe magnae erant. Calor, qui in decurſu diei attigerat + 16° R. et + 18° R., in tale frigus ſe vertebat, ut per noctem gelaſceret. Inter ventos imperium habebant Boreas, Eurus, Favonius et Euronotus.

Cap. II.

Morbum unumquemque febrilem, cujuscunque generis ſit, pro indole ſua varium eſſe, mutationesque permultas ex complicationibus aliorum morborum inire ſatis conſtat. In adum-

brando morbo epidemico, qui hanc urbem Gryphiam tenuit, et perquam varium ſe exhibuit, ut ordinem adhibeamus arte concluſum, primum febris indolem affectioni locali reſpondentem, qua influenza apparuit, praecipue obſervandam eſſe cenſeo. Quae vero indoles mihi caute contemplanti creberrime offerebatur, ea talis erat, ut, quamvis adhuc in limitibus febris ſthenicae perſiſteret, tamen in aſtheniam prona eſſet. Magna ex parte febrem etiam inter ſtheniam medium tenuiſſe et aſtheniam, dubitari non poteſt. Hos influenzae caſus hac febris indole conformatos, quum frequentiſſimi eſſent, pro norma epidemiae hic graſſatae habendos credo, qualesque a me obſervati ſunt, primum deſcribam. Deinde afferam, quas mutationes morbus ex indole febris progredientis in ſynocham graviorem et in ſynochum et e complicationibus habuit, deinde qui ex hac benigna influenzae ſpecie exorti ſunt alii morbi differere pergam.

In deſcribenda igitur morbi influenzae imagine, qualis hic ſaepiſſime in conſpectum veniebat, illa hujus morbi tam multifarii ſymptomata varia in localia et univerſalia dividimus, nempe affectionis ſubinflammatoriae omnium tunicarum mucoſarum et febris.

Febris aut ſubito ſuperveniebat homines aut prodromis ſuis nuntiabatur. Quae tum temporis majori hominum parti fuit propria laſſitudo, debilitas, anorexia et faſtidium ſoliti muneris, ea majorem attingebat gradum in iis, quibus morbus ille minitabatur. His accedebat vertiginoſa capitis obnubilatio, horripilationes vagae, adauctaque vis ſentiendi. Hi prodromi aut dudum anteibant, aut brevi tem-

pore tantum ante morbi eruptionem ſe manifeſtabant. Febrem vero ſine prodromis improviſam homines corripuiſſe, praecipue obſervavi in hominibus ſub coelo verſantibus ibique magnis laboribus occupatis. Morbo ipſo intrante horripilationes accedebant, horror ſaepe vehementiſſimus rigorque, quem primum calor ſiccus ſequebatur, tum vero ſudor valde profuſus. Febris, quam non ſolum ſub veſperam, ſed etiam omni diei tempore intrantem obſervavi, erat vehementiſſima. Pulſus celeres, valde frequentes, in infantibus ſaepe frequentiſſimi, ſaepe fere parvi, rarius pleni et duriusculi etiam apparebant. Ille pulſus frequentiſſimus mihi in infantibus jam provectioris aetatis ſaepe obveniebat, in quibus affectiones locales tam mites erant exscultae, ut morbus febre ſola exhauriri videretur. Saepe hic pulſus frequentiſſimus cum levi tantum angina conjunctus ſcarlatinae inſtantis ſuspicionem injecit, qui morbus et ipſe tum temporis regnabat. Sitis ſaepe valde accenſa, nonnunquam vero, etiamſi febris maxima eſſet, nulla erat. Alvi excretiones variae pro affectione tractus alimentarii poſtea deſcribenda apparebant; urina erat ſub initium cruda, fere aquoſa, ſaepe normalis, ſaepe ſedimentum formans albidum, mucoſum, ſaepe rubrum; interdum parca, interdum vero adaucta ſub colore limpido videbatur. Vigiliis aegroti propter febris exacerbationes phantasmatisque inter ſomnum valde cruciabantur; omnes maxima inquietudine angebantur; nonnullis quoque excitabantur deliria; alios quoque vidi totum per diem et noctem dormientes. Febris exacerbationes ſuas plerumque ſub veſperam facere ſole-

bat, remiſſiones attamen non magnas matutino tempore.

Huic febri affectio localis ſe conſociabat, quae febri et per longius tempus et brevi ante eruptionem antecedebat, aut cum hac ſimul in conſpectum veniebat. Haec affectio localis per omnes tunicas mucoſas expanſa his ſe oſtendebat phaenomenis.

Capitis dolores ex affectione tunicae mucoſae ſinuum frontalium praecipue vehementes ſinciput potiſſimum occupabant, regionemque ſupra oculos; caput erat obnubilatum, homines vertigine corripiebantur. Oculi in orbita magno quaſi pondere preſſi, ardentes, rubeſcentes, lacrimas fundebant multas; coryzam ſternutationibus frequentiſſimis intrantem comitabatur ſecretio fluidi e naribus defluentis, rodentis ſaepe, quae vero cum intentione affectionis aucta fere prorſus remittebat. Huc acceſſit ſaepe dolor faucium, ſiccitas quaedam earum, diglutitio impedita; adſpectns ruborem tunicae mucoſae faucium oſtendebat; ſaepe vero tinnitus et ſuſurrus aurium valde moleſtus ex affectione tubae Euſtachii homines cruciabat. Laryngis affectio et aſperae arteriae manifeſtabatur raucedine, tuſſi permoleſta, interdum ſicca; ſaepe vero exſcreabatur pituita tenax in principio, poſtea vero ſpumoſa et tum flavo colore inſignis et copioſiſſima, interdum ſanguine commixta. Tuſſis ſaepe tam pertinax et gravis erat, ut tuſſim convulſivam ſimularet. Pectoris oppreſſio erat maxima, reſpiratio inde valde impedita, praecipue ubi irritatio in inflammationem transire minitabatur. Praeter hanc tenſionem pec-

toris ſaepe dolores pleuritici ab aegrotis ſentiebantur.

Praeter haec organa non minus laborabant organa digeſtionis, non ex ſtatu gaſtrico puto, quem multi ſcriptores hanc affectionem habuerunt, ſed ex illa affectione peculiari ſubinflammatoria tunicae mucoſae horum organorum. Symptomata hinc prodibant haecce: Ardor, dolor urgens et conſtrictorius in regione epigaſtrica, ſaepe quoque ardor et dolores per totum tractum alimentarium, inde aut obſtructio alvi aut alvi auctae. Appetitus deficiebat, lingua muco albo tenaci leniter plerumque obtecta, interdum praeter normam rubens reperiebatur. Quamvis lingua ſaepe pura obſervaretur, tamen vomituritiones et vomitus ipſe aderat, aut vomitus ſimul cum alvi fluxu. Evacuationes nullas materias ſaburrales, nullas accumulationes bilioſas prodebant. Neque ſemper veſica urinaria hujus affectionis ſubinflammatoriae immunis reperiebatur, nam qui dyſuria levi vexarentur, haud raro obveniebant.

Notatu adhuc digni ſunt dolores per totum corpus trahentes, volatiles, praecipue vero artuum, qui naturam dolorum rheumaticorum ſervabant. Etſi apud pleroſque aegrotos obſervabantur, tamen non in omnibus eandem vehementiam conſecuti ſunt.

Communis vero omnibus animadvertebatur laſſitudo et debilitas magna univerſalis, dejectio virium quam maxima, quae non ſolum praecedebat morbum, ſed etiam totum per morbum et adhuc per longum tempus poſt morbum perdurabat.

Quamvis ab illo morbo locali omnes tunicas mucoſas ſimul correptas videremus, tamen plures hujus influenzae caſus animadvertebantur, in quibus tantum vel una vel altera tunica mucoſa affecta erat, ita ut in altero ſinuum frontalium affectio praevaleret, in altero catarrhus naſalis, apud alios vero angina faucium potiſſimum ſe oſtenderet, alii potius catarrho laryngis et aſperae arteriae laborarent, apud alios vero, cum omnes hae affectiones paene deeſſent, dolor et ardor ventriculi, inteſtinorum, cum ventris fluxu, teneſmo ſaepeque cum diarrhoea ſe adjungeret.

Hae affectiones omnes interdum locum inter ſe commutabant, invicemque ſeſe excipiebant, tali modo nempe, ut qui e. gr. nunc vexabantur catarrho naſali, hoc evaneſcente, catarrho tracheali, laryngis vel ſinuum frontalium affectione tentarentur et invicem his affectionibus rurſus recedentibus in malum jam a principio praevalens rurſus inciderent.

Nonnulli aegroti erant, qui tam leniter afficerentur, ut minime lectui affigerentur et omnibus ſuis officiis fungi poſſent. A coryza communi non multum differebat hic ſtatus, ſubſecutus tamen ab illa ſupra deſcripta laſſitudine et virium dejectione; febris ſub veſperam tantum in conſpectum veniens tam lenis erat, ut vix ab aegrotis ipſis obſervaretur. Quamvis hic eſſet leniſſimus gradus, tamen per decurſum ſuum lentum, quem fere ſemper tenuit, erat moleſtiſſimus.

Praeterea morbus hic tam variis formis ſe exhibuit, ut interdum haud facile eſſet cognitu, num ad influenzam pertineret, niſi ex epidemia

regnante, et ex uno alterove ſymptomate veram diagnoſin concludere potuiſſemus. Inter alia febris, id quod jam ſupra memoratum eſt, erat vehementiſſima, affectione locali paene nulla apparente. Nonnulli vertigine tantum corripiebantur capitisque obnubilatione, ſimul vero laſſitudine maxima et languore tentati; permulti tantum vomituritionibus et vomitu laborabant; alii vexabantur diarrhoea ſola doloribusque colicis; alii laſſitudine maxima correpti vix corpus trahentes doloribusque artuum cruciati videbantur.

Tempus intra quod morbus ſuperabatur, valde varium erat, modo duravit tantum quatuor et viginti horas, modo morbus poſt duos vel quatuor, modo poſt ſeptem, octo et amplius dies abſolutus erat. Praeſertim protrahebatur morbus in hominibus debilioribus et valetudinariis, in robuſtis contra ſaepius per breviſſimum tempus finitus conſpiciebatur.

Exitum hujus influenzae in ſanitatem proceſſiſſe febri ſenſim ſenſimque evaneſcente ſimulque affectione locali apparet. De criſibus vero proprie ſic dictis, quibus morbus ſolutus eſſe contenditur, ſcrupulos mihi adhuc reſidere confiteor. Nam quae mihi adnotanda ſunt de urina et ſudore, quibus febris abſoluta eſſe dicitur, haec ſunt: Sudor jam in principio morbi aderat et totum morbum comitans non minus largus exoriebatur, atque in acme; neque levamen tale afferebant ſudores, quale de criticis exſpectare poſſimus, ſed cum ſaepe copioſiſſimi largiſſimique eſſent, vires potius exhauriebant et cruciatus afferebant aegrotis. Haud minus in dubio eſſe debemus de natura critica urinae,

quae quamvis nonnunquam ſedimentum formans aliquid critici habere videretur, apud alios tamen totum per morbum limpida cernebatur. Affectionis bronchiorum criſin ſputa maxima ex parte adducere videbantur, ſupra modum copioſa, neque tamen alius criticae naturae, magis enim ſpumoſa animadvertebantur, quam ſpiſſa et globoſa. Pari modo in ſuſpenſo eſſe debemus de vi, quam diarrhoea in affectionem tractus alimentarii abſolvendam habuerit, quae saepiſſime jam ab initio morbi aderat, et qua aegrotis non raro plus cruciatus, quam levaminis afferebatur. Haec omnia reſpicientes, ſi criſin perfectam quaerimus, hanc in phaenomenis pro morbi quoque ſymptomatis habendis poſitam eſſe ſtatuemus, quae, quatenus critica eſſe ſtatuuntur, aliam a nobis non facile perſpiciendam rationem exhibeant. Exceptis illis caſibus, qui citiſſime unius diei ſpatio dijudicabantur, haud improbabile mihi eſſe videtur, morbum lyſi potius quam criſi ſolutum eſſe.

Convaleſcentium magna pars maxima debilitate et laſſitudine vexabatur, neque influenza jam ſuperata dolorum artuum immunis erat; neque tuſſis ſemper removebatur, ſed ſpasmodicam naturam exhibens per longum tempus perdurabat. Recidivas convaleſcentium aëris mutationes moleſte ferentium rariſſime neque valde intentas animadverti.

Morbus praeter hos in ſanitatem exitus alios quoque habuit. Nam praeter mutationes, quas febris character interdum iniit inflammationesque veras, ex affectione locali ſingularum partium profectas, morbi ſecundarii excitabantur, catharrus chronicus pulmonum et phthiſis.

De his rebus mox fuſius diſſerere propoſui. Exitus morbi in mortem degenerationibus ejus tantum et morbis ſecundariis adducebatur.

Sicut in hiſtoria nonnullae epidemiae nobis referuntur, quae febris charactere formam exhibuerunt malignam, pari modo in noſtra epidemia tam benigna nonnulli caſus obſervati ſunt, qui ex hac etiam parte bonam relinquerent viam. Rarius vidimus morbum ita conformatum, ut indolem ſynochae gravioris prae ſe ferret, frequentius vero morbum febri aſthenica comitatum deprehendimus. Quamvis multi caſus in febrem nervoſam transire valde eſſent propenſi, tamen nullos febri nervoſae conformatae ſubjectos comperi.

Priusquam nunc deſcribamus formam morbi, quam inflammatoriam nominare poſſumus, adnotandum eſt, morbum hunc rariorem fuiſſe, occupaviſſe fere nonniſi homines validos et plethoricos, affectionemque tractus alimentarii talibus aegrotis leviſſimo gradu tantum fuiſſe excultam aut prorſus defuiſſe.

Febris intrabat cum frigore, horrore, magnoque calore moleſto ſubſecuto valde intenta conſpiciebatur, typum magis continuum ſervans. Inquies aegroti maximum attingebat gradum, pulſus pleni, duri evadebant, urina flammea videbatur, ſitis permagna aegrotum vexabat, lingua erat pura et rubens. Affectiones locales ad veram inflammationem adpropinquantes moleſtias multo majores afferebant. Praeter ſymptomata, quae ex congeſtionibus ad caput oriebantur, magis urgentia, epiſtaxi interdum paullulum levata, affectio ſinuum frontalium aegrotis majores etiam labores creabat. Homines e ma-

ximo capitis dolore laborabant, omnique cogitandi facultate erant privati, in ſinubus ipſis habebant ſenſationem tenſionis, plenitudinis, caloris interni, doloris vel obtuſi, vel ſatis acuti, lancinantis, profundi cum lacrimatione ſimul et rubore oculorum. Acceſſerunt dolores ſatis vehementes et faucium et laryngis atque tracheae; pectus tenebatur tenſione dolorifica cum ingenti reſpirationis difficultate paene ſuffocante. Tuſſis erat ſicca, cum ſputis paucis, moleſtiſſima, dolores efficiens. Transitus in veras inflammationes valde propinquos fuiſſe ſatis elucet. Decurſum morbus omnino faciebat acutiorem.

Morbus vero influenza characterem aſthenicum exhibens, quique interdum in febrem nervoſam tendebat, ſaepius nobis in conſpectum ponebatur. Homines debilitati potiſſimum et veteres et valetudinarii non ſolum hoc modo aegrotantes obſervabantur, ſed etiam praecipue, in quibus affectio tractus alimentarii ſubinflammatoria intenta praevalebat. Symptomata eſſentialia morbi eadem erant, quae primae morbi formae, attamen ita ut imbecillitas maximum attingeret gradum, faciesque prodiret collapſa, pallida, lurida circa oculos, pulſusque frequentes, molles, parvi oſtenderentur, et ſudores ſingulas tantum corporis partes tenerent. Affectiones locales non tam acutae prodibant. Morbus ſemper per longiſſimum tempus protrahebatur.

Inter morbos, qui influenzae ſe adjungentes immutationem hujus adferebant, enumerandus eſt praecipue ſtatus gaſtricus, ita ut forma morbi gaſtrica interdum interponeretur. In plurimis fere caſibus vidimus homines inappetentia

ciborum, ſaepe nauſea, vomituritionibus affectos, linguam leni albido tegmento leviter obvelatam, alvi quoque fluxus; quae tamen gaſtricae complicationi non erant adſcribenda, ſed quemadmodum jam vidimus, ad influenzae proprietates pertinebant. Attamen in nonnullis aegrotis verus aderat ſtatus bilioſus, qui bili per vomitum atque alvi fluxum evacuata manifeſtabatur. Quamvis haec polycholia fere ſemper gravitate ipſum influenzae morbum non ſuperaret, tamen ut hic in aſtheniam verteretur multum contulit, quem effectum imprimis ſtatus gaſtrico-inteſtinalis habuit; diuturniorem quoque ſtatus bilioſus morbum affectionesque locales pertinaciores reddebat, ad quam rem irritatio e bili ipſa provecta multum conferre videtur.

Ad aliam morbi complicationem pertinent affectiones rheumaticae, quae lenes cum ipſo morbo fere ſemper conjunctae erant. Hi vero dolores rheumatici vagi non ſolum vehementiores facti ſunt, verum etiam varios locos variaque organa occupantes in his conſidebant. Saepiſſime occupabantur musculi intercoſtales, neque raro factum eſt, ut inflammatio horum rheumatica in pleuram ipſam migraret. Locus hic doloribus fixis correptus dolebat, manu eum tangente, aegerque prohibebatur, quominus in latus affectum poſſet decumbere, dolores reſpiratione impedita tuſſique vehementi magis augebantur. — Muſculi abdominales quoque interdum correpti videbantur rheumatismo, e quibus nonnunquam migratio facta eſt in peritonaeum, qui in nonnullis hepatis regionem occupans ibi affectionem inflammatoriam hepatis ſuperficialem procreavit.

Adnotandum mihi hoc loco esse videtur, in nonnullis accessisse convulsiones leves, artuum contractiones, praecipue surarum crampum, in aliis etiam rhachialgiam. Unum aegrotum etiam vidi pneumonia et hepatitide ex influenza progressis laborantem, quem in decursu morbi inter alios spasmos opisthotonus praecipue male habebat.

Insuper influenza cuilibet alii morbo se addebat et in his vim suam vel majorem, vel minorem exercuit, quae omnia magis fortuita hic enarrare longum est.

Quae jam supra significata sunt, ex affectionibus localibus subinflammatoriis tunicarum mucosarum interdum exiisse perfectas inflammationes, nunc breviter explanabo. Hae inflammationes ex influenza progressae haud raro obvenerunt, quae rarissime intentione erant periculosae, saepissime vero eo, quod curatio, quae exigebatur, sanguinis detractionibus morbum ad astheniam jam proclivem adhuc perniciosiorem redderet. In dignitatem harum inflammationum aetatem et constitutionem aegroti non sine vi fuisse apparet.

Ex affectione igitur sinuum frontalium in infantibus, praecipue qui in dentitionis periodo versabantur, encephalitidem ortam vidimus; in adultis, quamvis affectionem sinuum frontalium gravissimam interdum deprehenderemus, hanc nunquam animadverti. Puerum inter alios observavi, quem leni scarlatinae forma correptum in stadio decrementi hujus morbi, qui huc usque regularem decursum fecerat, influenza etiam supervenit, sinuumque frontalium affectione procreavit encephalitidem, ad quam formandam

etiam proclivitas e ſcarlatina producta multum valuit.

Pleuritides ſaepius comites erant influenzae, quae inter gradum leviſſimae affectionis et pleuroperipneumoniae ipſius variabant. Frequentius inflammatio pleurae ex rheumatismo intercoſtali originem duxit.

Haud minus frequentes bronchiorum inflammationes ſe offerebant; in infantibus praecipue periculoſiſſimae erant, interdum ſub levi forma affectionis bronchiorum bronchitis acutiſſima latebat. Tracheam quoque ſedem inflammationis influenza provocatae in uno infante obſervavi. Bronchitis in adultis, quae propter organorum contiguitatem ad pulmonum parenchyma ſaepius ſe extendebat, praecipue corripuit tales, qui pulmones tuberculis haberent repletos, aut ulceroſos, aut diuturna pituitae ſecretione vexatos, quibus et propter debilitatem organi affecti ipſius et propter debilitatem univerſalem influenza adaucta ſimul cum inflammatione exitus funeſtus parabatur. Qui vero adultorum bona conſtitutione praediti bronchitide vexabantur, in his ſaepiſſime inflammatio tam pertinax erat, ut ſanguinis detractiones, quae neceſſariae erant ad inflammationem deponendam, debilitatem influenzae jam propriam in eum gradum augerent, ut ex maxima aſthenia orta transitus in febrem nervoſam metueretur. Interdum valde perſpicuum erat, irritationem nervorum ipſorum tunicae mucoſae ad ſuſtentandum morbum multum contuliſſe. In ſenibus quoque illa peculiaris bronchitidis forma, quae bronchitis ſenum nominatur, interdum obſervata eſt.

Affectionem tunicae mucofae tractus alimentarii in limitibus fubinflammationis fe retinuiffe certe credo; nil de inflammatione vera ex influenza exorta comperi.

Ex morbis fecundariis praecipue nominandi funt catarrhus chronicus et phthifis pulmonum, quibus imprimis illi affecti funt, qui debili et phthifica conftitutione praediti erant. Inter fequelas etiam attendenda eft debilitas magna organorum digeftionis indeque progreffa reproductio laefa.

Cap. III.

Jam fupra vidimus, viros et mulieres, infantes et fenes, pauperes et divites hominesque omnis conditionis pari modo morbo effe tentatos; attamen negari non poteft, nonnulla momenta fuiffe, quae proclivitati ad morbum faverent; certe maximam vim habebant ad morbum graviorem reddendum. Nam qui veftitu nimis denfo et calido, aëre cubiculi femper calido cutem effecerant emollitam, morbo prae caeteris obnoxii erant. Nec minus etiam accufanda eft conftitutio ftationaria gaftrica, quam ob rem ii potiffimum propenfi erant ad morbum excipiendum, qui jam antea morbis tractus alimentarii praecipue ftatu pituitofo vexati erant. Qui vero laborabant phthifi pulmonali, tracheali, laryngis, maximo aegrotandi periculo expofiti erant.

In indaganda vero influenzae caufa, quae occafionalis vocatur, pro praefenti litterarum

ſtatu difficultates nobis quam maximas obſiſtere nemo negabit. Ille aër commutabilis, e calore maximo in frigus transiens, fere ſemper ſiccus, ad catarrhos gignendos vulgares certe ſufficit, quum aër ſiccus egeſtionem cutis externae impediat majoremque affluxum ad membranas internas provocet, deinde quum jam inſpiratio aëris tunicas irritet mucoſas, poſtremo, quum per commutationem caloris cum frigore ejectio cutis per diem activa ſub veſperam ſubito reprimatur. Influenza vero natura ſua tot momentis a catarrho vulgari differt, et eo quoque, quod per tantam hominum copiam ſubito pervagata ſit, ita eminet, ut ad noſtram epidemiam procreandam ſingularem cauſam acceſſiſſe concludendum ſit. In aëre, qui jam ab antiquiſſimis temporibus cauſa ejus eſſe perhibetur, nobis quoque hanc poſitam eſſe perſuaſum eſt. Quaecunque vero ſtudia in perquirendo aëre usque ad hoc tempus collocata ſint, tamen quum nil profecerint, ſemper in tenebris adhuc verſari conjecturisque niti debemus.

Sententiae vero et opiniones a nonnullis ſcriptoribus de cauſa epidemiarum catarrhalium priſtinarum prolatae nunc referendae eſſe videntur.

Huxham[73]) aëri ineſſe credit ſalem quendam aëreum et acrem, qui quodammodo ſanguinem ſundat, vellicet nervorum propagines totamque humorum maſſam conturbet. Inde credit venire tam immenſam deſtillationem humoris per nares, oculos, fauces, cutem ſaepe erodentem, tuſſes vehementes et ſternutamenta perpetua. Quo

---

73) Huxhami op. phyſico-medic. Vol. I. p. 570. Lipſ. 1784

major aërei hujus ſalis copia per atmoſphaeram diffuſa ſit, eo acriorem catarrhum ſaevire.

Grant[74]) narrat, epidemiam a. 1782 ideo Gripe eſſe vocatam, quia inſecto quodam la gripe nominato aërem eſſe corruptum illumque morbum provocatum vulgo opinabantur. Grant vero hanc opinionem ipſe pro falſa et ſtulta habet.

Languth[75]), ubi de cauſis epidemiae diſſerit, cauſam latere ait in aere, minime vero in contagio. Duas res pro morbi cauſis habendas eſſe putat, alteram poſitam eſſe in quantitate aëris phlogiſticati nimis aucta: inſolitum enim autumni et hiemis anni praegreſſi calorem magis promoviſſe exhalationes ex animalibus, vegetabilibus adhuc ſuperſtitibus et a terrae ſuperficie, eamque ob cauſam aërem maxime onuſtum particulis inflammabilibus reddidiſſe; alteram vero tribuendam eſſe electricitati nimia oxygenii copia auctae.

Moſt[76]), qui influenzae incunabula in Aſia ſeptentrionali ponit, ibi morbum ortum eſſe contendit cum ex ſingulari terrae natura, e glacie ibi ſempiterna et boreis terram ſemper perflantibus, tum ex ſingulari aëris ratione. Quum enim humus ingenti natri muriatici et kali nitrici copia tecta ſit, ex hac nimiam oxygenii copiam gigni putat aëremque inde oxygenatum, aptum praecipue ad morbos catarrhales gignen-

---

74) Obſervations on the late Influenza the febr. catarrh. epidem. etc. by W. Grant.

75) Languth, diſſert. inaug. medic. ſiſtens hiſtor. catarrh. epidem. a. 1782.

76) Moſt, influenza Europaea. Hamb. 1820.

dos (Fourcroy et Vauquelin confirmant experimentis, oxygenio muci ſecretionem augeri). Morbum hac ratione in illis regionibus ortum ad nos deferri opinatur. — Refutationem hujus opinionis protulit Finke [77]).

Wolf [78]), qui influenzam a. 1800 Varſoviae graſſatam deſcribit, cauſam hujus ineſſe contendit in materia irritanti gaſiformi quadam, procreata loco quodam terrae ex humo, quae ibi morbum, quem aſthenicum putat, gignat. Morbum vero tantum per contagionem in univerſum propagari idem ſibi perſuaſum habet.

Sprengelio [79]) turbatam rationem electricitatis atmoſphaereae in popularibus catarrhis accuſandam eſſe placet.

Haec Sprengelii opinio certe attentione digna eſt neque ab omni probabilitate abhorret. Quamquam minime pro certo affirmare poſſumus, electricitatem in morbum hunc conformandum vim ſuam habere, tamen nonnulla momenta in noſtra quoque epidemia ſe nobis obtulerunt, quae in hanc rem noſtram dirigant attentionem. Adnotatu enim dignum eſt, morbum invaſiſſe coelo ſereno et aëre ſicco facto, morbum et majorem attigiſſe extenſionem, et eo magis proprietates ſuas exhibuiſſe, quo ſiccior et ſerenior aër eſſet, cujus electricitatis ratio ab humidi aëris valde differt. Praeterea etiam rheumatismus ſimul exſtitit cum influenza et hanc non ſolum comitabatur, ſed etiam per ſe

77) Hufeland's Journal der pract. Heilkunde. Bd. 53. St. 2.

78) Hufeland's Journal der pract. Heilkunde. Bd. 10. St. I.

79) Sprengel, Kurt, Inſtit. medic. Patholog. ſpecial. tom. IV. Amſt. 1814.

exſiſtens talem gradum ſaepe nactus eſt, qualem dudum non habuerat. Hunc ab aëris electricitate pendere veriſimillimum habetur, et ſaepiſſime ego aëre ſicco et ſereno facto ortum vidi. Inſuper afferre debemus, nervos, quos conductores quaſi materiarum imponderabilium contemplari debemus, una affectos fuiſſe. Quum jam ſupra viderimus, aëris viciſſitudines et mutationes ſuffeciſſe ad catarrhos vulgares gignendos, hoc ponere poſſumus, electricitatem praecipue cauſam fuiſſe, cur morbus ſuper majorem hominum multitudinem ſe diffuderit, eandemque ſymptomata, quibus catarrhus vulgaris ab influenza differt, protuliſſe. Conſiderantes vero, ſaepiſſime aëris conſtitutiones ſimillimas eſſe obſervatas, minimeque ex his influenzam eſſe provocatam, nos in tenebris verſari ſemper conſiteri debemus. Equidem in accuſanda electricitate nihil aliud volui, niſi animos in hanc rem intendere.

Alia quaeſtio eſt, num morbus noſter contagioſam quoque vim exercuerit, necne. Permulti enim ſunt, qui hanc prorſus negent, certe vero perpauci, qui contagionem ſolam morbi cauſam eſſe contendant. Morbum primum natum eſſe proceſſibus cosmicis aut telluricis plane dubium non eſt; eum vero in decurſu etiam contagioſum factum eſſe mihi probabile eſt ex iis, quae de ordine obſervavi, quo homines opprimebantur. Jam ſupra exempla multa commemorata ſunt, quae argumenta hujus rei ſint. Neque mirum hoc eſt, ſi perpendamus, jam affectiones catarrhales ſimplices, id quod inter omnes fere conſtat, hanc vim habere, ut ab aegrotis hominibus ad ſanos ſe transferant.

Quum nobis rationes externae ignotae ſint, quae morbum provocarunt, ex effectu harum cauſam proximam morbi concludere debemus. Cauſa ſpecifica igitur affectionem tunicarum mucoſarum omnium totius corporis exortam videmus, ſubinflammationem nempe earum ſymptomatis multis conſpicuam, et praeter hanc nervorum peculiarem paſſionem, et propaginum quidem eorum praecipue nervorum, qui in tunicas mucoſas diffunduntur. Quae ſit natura hujus nervorum affectionis minime pro certo affirmare poſſumus, paſſionem vero eorum adfuiſſe multis phaenomenis probatur. Jam vidimus rheumatismum ſemper hujus morbi fuiſſe comitem; itaque mihi probabile videtur, cauſam illam, quae in aponeuroſibus affectiones rheumaticas provocavit, ſimili ratione nervorum affeciſſe neurilema, eique excitaſſe tenſionem dynamicam alienatam, primum igitur inflammationis gradum. Itaque non ſolum ſubinflammationem tunicae mucoſae, ſed etiam nervorum ipſorum hujus pro cauſa proxima habendam eſſe arbitror. Simul cum ſubinflammatione tunicae mucoſae nervos quoque ſingulari modo vexatos eſſe oſtendit inter alia tuſſis vehementiſſima, tam leni ſubinflammationi tunicae mucoſae ſolius non reſpondens, qui tuſſi convulſivae ſaepe propior erat, eo tamen, quod citius cederet, demonſtrabat, nervorum paſſionem, quam in tuſſi convulſiva inflammationi perfectae propiorem opinamur, hic gradum tenſionis dynamicae auctae tenuiſſe. Vomituritiones et vomitus, ubi nulla alia gaſtricae affectionis ſigna ſe prodebant, partim ex affectione nervi vagi, partim vero et praecipue aliorum ſinium nervorum, qui in ſto-

machum inferuntur, deducenda funt. Praeterea etiam debilitas maxima univerfalis fundata esse videtur in affectione fyftematis nervorum gangliorum. Credo etiam, quemadmodum in tunicae mucofae nervis tenfionem dynamicam auctam ponimus, fic nos contrarium hujus de cute conjicere poffe, fudores enim, quos pro morbi fymptomate potius, quam pro criticis habeo, effectus tenfionis nervorum periphericorum deminutae mihi videntur. Ex tali nervorum paffione explicandi etiam funt fpasmi, qui faepe prodibant, quum facile intellectu fit, irritationem nervorum ad partes centrales a propaginibus directas illos provocare poffe.

Ad caufam proximam morbi pertinet etiam febris, quam ex violatione totius vegetationis eadem caufa fpecifica, qua affectiones locales producta, ortam credere debemus. Quemadmodum quaevis febris, fic influenza quoque varios characteres induit et vis vitalis quantitate et progreffione morbi ipfius progenitos. Neque parvam vim in febris characterem exercuerunt affectiones locales et gradibus et fedibus. Ita etiam affectionem tractus alimentarii et fyftematis nervorum gangliorum potiffimam caufam credo, cur febris in aftheniam propenderet, et mirum certe eft, quod hic loci febres nervofae non apparuerant, ad quas nervorum gangliorum paffio et tractus alimentarii homines tam proclives fecit.

Cap. IV.

Morbus nofter in univerfum benignus apparebat, plurimisque nullum afferebat periculum, et plerumque bona valetudo reftituebatur. Eo tantum perniciofa influenza reddebatur, fi a forma benigna degeneraret. Quamvis forma morbi afthenica majoris momenti effet gravitate fua et diuturnitate, tamen in limitibus fuis femper fe tenebat, neque in formam morbi typhofam transgrediebatur, ideoque non tantam perniciem paravit. Inflammationes vero, praecipue encephalitidem infantum, bronchitidem haud raro mortis caufas vidimus.

In prognofi ftatuenda magnum momentum habuit aetas aegrotorum, conftitutio et difpofitio. Majoris momenti morbus erat in infantibus, quibus facilius propter congeftionem in iis praevalentem irritabilitatemque majorem inflammationes creatae funt, praecipue vero encephalitis exfudatoria. Qui fenectute confecti erant aut mortui funt, aut per longum tempus tuffi atque affectionibus afthmaticis cruciabantur. Homines bona conftitutione praediti citius et certius e morbo reftituebantur, quam debiliores et valetudinarii. Qui chronico morbo, praefertim pulmonum, laborabant, influenza accedente aut ftatim mortem obierunt, aut exitus funeftus citior paratus eft. Quibus difpofitio ad phthifin pulmonum erat, iis per influenzam phthifis evolutio maturabatur.

Cap. V.

Quod attinet ad morbi curam atque medelam, medici eſt:

Cauſas morbi removere; morbum pro ipſius indole atque natura aggredi; ſymptomata nimis moleſta levare et tollere et degenerationes morbi avertere; reſpicere complicationes; ſequelas morbi tollere; ſanitatis reſtitutionem adjuvare.

Quum morbus noſter ex aëris conſtitutione originem duceret, minime fieri poterat, ut conſilia certa darentur, quae effectum hujus cauſae univerſalis arcerent atque prohiberent, quominus quisque corriperetur. Quae vero praecautiones adhiberi poterant, fuerunt hae: viciſſitudines aeris erant vitandae, haud minus aër matutinus et verſpertinus aërque frigidus et ſiccus; commendanda erant veſtimenta calida, et cum contagioſitas morbi non plane abnegari poſſet, ordinandum erat, ne ſani cum aegrotis uno eodemque dormitorio uterentur.

Remedia, quae in catarrho vulgari adhibentur, ut, ſi prodromi adſunt, ab initio ſtatim ſupprimatur, nempe applicatio fomentationum frigidarum, glacialium, vaporum fervidarum, narcoticorum uſus, aut remedia ſudorifera, theae potus calidae cum magna ſpiritus ſacchari occidentalis quantitate, ea in influenza ſaepiſſime et morbum tardiorem eoque moleſtiorem fecerunt, aut valde adauxerunt. Natura in conformando morbo nihil impediri voluit.

In morbi cura pro ipſius indole atque natura nobis reſpicienda eſt febris, quam pro charactere ejus aggredi debemus et affectio localis,

quae continet ſubinflammationem omnium tunicarum mucoſarum tenſionemque dynamicam alienatam nervorum earum ipſorum.

Jam quum ſupra demonſtratum ſit, febris characterem vulgo talem fuiſſe, ut verſans quidem in limitibus febris ſthenicae tamen in aſtheniam inclinaret, neque raro medium tenuerit inter ſtheniam et aſtheniam, facile intelligi poteſt, cur morbus altera ex parte remediorum irritantium et ſudoriferorum fortiorum, ex altera antiphlogiſticorum validiorum et debilitantium impatiens fuerit, nam hic neceſſe erat, ut febris inflammatoria, illic febris aſthenica procrearetur. Eodem modo neceſſe erat, ut remediis nimis irritantibus affectio ſubinflammatoria tunicarum mucoſarum, ſimulque tenſio nervis propria augeretur, eoque morbus gravior et acutior fieret, remediis vero debilitantibus ſimul cum aſthenia univerſali etiam aſthenia tunicae mucoſae, eoque morbus chronicus blennorrhoicus oriretur.

In morbis mitioribus natura optima fuit medicatrix, cura negativa potius eſſe debebat, quam poſitiva, medicique erat cavere, ne nimis agendo plus noxiae, quam utilitatis afferret. Simul cum febri exaequationem affectionis localis natura patravit. Sufficiebat ſtrenua diaeta: aër cubiculi aequaliter tepidus; in lecto aegrotus erat tenendus, alimenta calida valde nutrientia, ſpirituoſa erant vitanda, commendanda erant alimenta leviora, demulcentia, tepida, decoctum praecipue avenae excorticatae.

In gradibus vehementioribus morbi febris characterem ſthenicum ſervans mitiorem exige-

bat curationem antiphlogiſticam et refrigerantem, Saturat. Kali carb. c. ſucc. citr., Kali nitrici minores doſes, Ammonium muriat., quibus in univerſum affectio etiam ſubinflammatoria tunicarum mucoſarum adjuvatur, quum ſublevando ſtatu ſanguinis irritato congeſtio avertatur.

Affectionum localium cura pro ſede differebat. Subinflammatio ſinuum frontalium atque naſi leniebatur vaporibus fervidis; ubi progreſſio morbi in tunicas cerebri metuebatur, hirudines nonnullae erant applicandae. In tracheae, laryngis et bronchiorum affectionibus contra ſubinflammationem tunicae mucoſae efficacia erant remedia jam ſupra commemorata antiphlogiſtica refrigerantia, praeter haec remedia demulcentia, mucilaginoſa, decoctum avenae excorticatae tepidum, ſolutio Paſtae de Althea, emulſ. Sem. Papaveris; contra nervorum paſſionem ſenſibilitate adaucta diminuenda narcotica quae dicuntur frigida optimum effectum habebant, aq. Amygdal. amar. dil., Hyoſciamus, Acidum hydrocyanic. Ittneri.

Ubi tuſſis ſimilem tuſſi convulſivae ſe exhibuit eoque affectionem nervorum majorem gradum attigiſſe prodebat, praeter narcotica majore doſi adhibita Tartarus ſtibiat. maxime laudandus erat, qui in refracta doſi porrectus per antagonismum nervorum tenſionem dynamicam derivat; veſicantia ac ſinapiſmi optimum fructum ferebant.

In curatione affectionis tractus alimentarii, quum lenis tantum eſſet, mucilaginoſa ſufficiebant. In vehementioribus gradibus profuerunt narcotica, aq. Amygdalarum amar. praecipue; bono effectu erat hic quoque Tartar. ſtib. in refr.

dosi, praecipue quum contrastimulatione tensionem nervorum deminueret; profuit quoque eo, quod exsudationes adjuvans congestiones derivabat; praecipue utilis erat, ubi obstructio alvi aderat. Contra diarrhoeam profusam, quae saepe affectioni tractus intestinorum se adjungebat, maxime profuerunt mucilaginosa, Ipecacuanhae minor. dos., pulvis Ipecacuanh. comp., mucilaginosa cum opio. Vomitus et vomiturituones optime depellebantur remediis, quae tensionem spasticam exaequant, pulvere aëroph., saturatione Kali carbon. cum additamento narcoticorum remediorum, Opii, Aq. Lauro-cerasi; sinapismi et vesicatoria in scrobiculum applicata non erant praetermittenda, quum sola saepe sufficerent ad haec symptomata molesta fuganda.

Quum febris vero in astheniam se verteret mediumque teneret inter synocham et synochum, locum habebant remedia excitantia minore dosi adhibenda: Infus. Valerian. leve, infus. flor. Sambuci cum liquore Ammon. acet., anisat., quae remedia universalem vitalitatem incitando irritationem inflammatoriam tunicarum mucosarum nervorumque simul derivant.

Morbus si re vera synochum attigerat, prae ceteris remediis infus. Valerian. c. nonnullis granis Camphorae commendanda erant; ubi symptomata ex affectione nervorum progressa urgebant, Tinct. opii maximo cum successu his remediis addi poterat.

Forma morbi inflammatoria desiderabat sanguinis detractiones, per hirudines et venaesectionem, et remedia antiphlogistica fortiora; usum Kali nitrici largum c. narcoticis, Opium vero erat vitandum. Contra oppressionem pec-

toris ſinapismata et veſicantia bono cum ſucceſſu in uſum vocanda erant. Tartar. ſtibiat. vero omnibus aliis remediis erat praeferendus; altera ex parte congeſtionem diminuit per antagonismum, altera ex parte tenſionem dynamicam derivat.

Quod attinet ad complicationes morbi, jam vidimus ad has pertinere ſtatum bilioſum et ſtatum gaſtrico - congeſtivum inteſtinalem. Cum hi natura ſua mites nullam praecautionem exigerent, et emeticum in totum proceſſum morbi etiam vi ſua contraſtimulante bono eſſet fructu; hoc ſtatim recipiendum erat, ut colluvie bilioſa removenda transitus morbi in aſtheniam averteretur. Cum maximam in partem proclivitas ad diarrhoeas adeſſet Ipecac. inter remedia emeſin provocantia potiſſimum eligenda erat.

Leves affectiones rheumaticae jam regimine calido in influenza ſervato evaneſcebant. Graviores affectiones reprimendae erant derivantibus remediis externis et contraſtimulantibus providendumque erat ſanguinis detractionibus localibus, ne inflammatio exoriretur praecipue transgreſſu in partes corporis nobiliores.

Inflammationes, quae ex influenza prodibant pro indole et natura erant tractandae. Multi qui de influenza ſcripſerunt, ſanguinis detractiones vetant in his inflammationibus; nam morbum retardari dicunt et in aſtheniam verti, quod concedere debemus. Veſicatoriis et ſinapismis inflammationes organorum pectoris ſanatas narrant. Equidem inflammationes veras nonniſi ſanguinis detractionibus ſanatas vidi; ſinapismi et veſicantia minime erant negligenda, cum in pleuritide rheumatismus do-

lorem pungentem ſaepe produceret, qui potius veſicantibus quam ſanguinis miſſionibus cedebat; et in bronchitide nervorum ipſorum irritatio eam ſuſtentaret, quae tollebatur potius veſicantibus, quam venaeſectionibus.

Inter ſequelas reſpicienda eſt blennorrhoea pulmonum, quae ſaepius poſt morbum remanebat. In opium hic animos advertere velim, quod non ſolum in blennorrhoea, ſed etiam ubi phthiſis pulmonum pituitoſa perfecta ex hac intrabat, ſpecificum effectum fere habebat. Blennorrhoea depellebatur etiam uſu lichenis Islandic. c. china conjuncti.

Organorum abdominis debilitas requirebat curam diaeteticam et pharmaceuticam; primum eligenda erant remedia aromatico-amara, amara, e quibus transitus ad chinam fiebat.

Convaleſcentia ſaepius vires reficiendas poſcebat, quod ut efficeretur, praeter diligentem diaetam opus erat remediis amaris et roborantibus, calamo arom., extr. amaris, cortice Peruviano ipſo, et vino.

CURRICULUM VITAE.

Natus ſum anno hujus ſaeculi decimo Penzlini, oppido Megapolitano, parentibus cariſſimis *Jacobo Liebmanno* mercatore, matre e gente *Marco*, quos adhuc ſospites veneror, fideique veteris teſtamenti addictus ſum. Eodem in oppido prima literarum elementa me edocuerunt Cel. *Pfeiffer*, t. t. ſcholae urbanae Rector, vir eruditiſſimus, et Cel. *Arnheim*, vir ſumme colendus, quem paterno amore me amplectentem pio animo ſemper veneror. Deinde gymnaſium Friedlandiae, quod t. t. auſpiciis Cel. *Wegner*, Rectoris, florebat, frequentavi. Inde gymnaſium Gryphienſe petii et ab ejus Directore Cel. *Breithaupt* receptus ſum. De benevolentia, quam praeceptores mei, viri egregii *Breithaupt*, *Glaſewald*, *Cantzler* erga me exhibuerunt, gratias ago quam maximas, eorumque memoriam mihi ſanctiſſimam nunquam deponam. Ibi per tres annos et dimidium verſatus examine ſcholaſtico abſoluto a. MDCCCXXX. univerſitatem in urbe Gryphia florentem adii, ubi ſtudioſorum numero ab Ill. *Niemeyer*, t. t. Rectore Magnifico adſcriptus, per quadriennium medicis in diſciplinis operam collocavi.

Praelectiones, quibus interfui, hae ſunt: Ill. *Stiedenroth* logicen et pſychologiam; Cel. *Damerow* anthropologiam, pathologiam et therapiam et generalem et ſpecialem animi morborum; Ill. *de Weigel* propaedeuticam, mineralogiam et chemiam experimentalem; Ill. *Hornſchuch* botanicen univerſalem, hiſtoriam naturalem univerſalem, hiſtoriam naturalem avium Europae me edocuerunt; corpora naturalia in muſeo zoologico aſ-

ſervata et plantas horti botanici demonſtrantem audivi; dux mihi fuit in excurſionibus botanicis. Ill. *Tillberg* de phyſica experimentali; Ill. *Huenefeld* de chemia theoretico-practica, doctrina de imponderabilibus, ſtoechiometria; Ill. *Seifert* de anatomia corporis humani, pathologia et therapia generali, materia medica, methodo formulas medicas concinnandi, arte fascias rite alligandi; Exper. *Laurer* de oſteologia, anatomia generali, ſyndesmologia; Ill. *Schultze* de anatomia corporis humani, phyſiologia, anatomia pathologica; Exper. *Kneip* de Celſo; Ill. *Berndt* de pathologia et therapia et generali et ſpeciali, de arte obſtetricia, de animi morbis; Ill. *Mandt* de Chirurgia generali et ſpeciali, de morbis oculorum, de akiurgia diſſerentes audivi.

Artem cadavera rite diſſecandi me docuerunt Ill. *Seifert* et Ill. *Schultze*. Per duos annos clinico medico et obſtetricio nec non conversatorio medico duce Ill. *Berndt* interſui. Clinicum chirurgicum et ophthalmiatricum duce Ill. *Mandt* frequentavi.

Quorum virorum experientiſſimorum illuſtrorumque memoriam ſemper pio gratoque animo retinebo.

Summum autem cenſeo, maximas quas animus capit gratias agere conſiliario a conſiliis intimis Ill. *Berndt*, qui non ſolum clinici medici et obſtetricii aſſiſtentis munus mihi tradidit, quo, cum praxin medicam excolendi multiplex occaſio offerretur, beneficium ſummum mihi obvenit, ſed etiam paterno quodam amore ſemper praecepta exhibuit, ita ut temporis, quo eo duce uti licitum erat, memoria nunquam delebitur.

Tentamine philoſophico ac medico, nec minus examine rigoroſo peractis ſpero fore, ut defenſa diſſertatione ſummi in me conferantur medicinae et chirurgiae honores.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Sphacelus progrediens amputationem non vetat.

II.

Perforatio infantis adhuc vivi non eſt concedenda.

III.

Infans a matre paritur, neque ſe ipſum parit.

IV.

Arteriis vis vitalis propria eſt.